

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. XIV. Conscientia attestatio in omni iudicio requirenda est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

CAPVT XIV.

*Conscientiae attestatio in omni  
iudicio requirenda est.*

**D**EMVM ad spiritualem mentis perfectionem, puritatem, & tranquillitatem in Deo consequendam, non mediocriter ad hoc proficere videtur, vt in omni quod de nobis dicitur, sentitur, & agitur, semper tacite ad interiora mentis arcana recurramus; & iniibi ab omnibus alijs abstracti, & intra nos totaliter recollecti, statuamus nos in cognitionem veritatis ante nos, & vtique inueniemus atque videbimus penitus nihil proficere nobis, sed plurimum obesse, si laudati vel honorati ab extra fuerimus, & ab intra in veritatis cognitione de nobis culpabiles & rei existimus. Et sicut tunc nihil prodest, si quempiam ab extra homines laudant, & conscientia ab intra accusat: ita è regione nihil obest, si ab extra quis contemptus, vituperatus, & persecutus fuerit, ab intra tantum innocens, irreprehensibilis, & innoxius existat: imò

quām

quām plurimum super hæc cum pa-  
tientia, & silentio, & quiete, non imme-  
ritò in Domino gratulari habet: siqui-  
dem nulla nocebit aduersitas, vbi non  
dominatur iniquitas. Et sicut nullum  
malum impunitum, ita nullum bonum  
irremuneratum. Neque cum hypocri-  
tis velimus mercedem & præmium ex-  
spectare, vel recipere ab hominibus:  
sed solum à Domino Deo, non in præ-  
senti, sed in futuro; non transitorio in  
tempore, sed in æternitate. Liquet ergo,  
quod nec maius aliquid, nec melius,  
quām semper in omni tribulatione &  
euentu ire ad interiora mentis secreta,  
& ibi inuocare ipsum Dominum Iesum  
Christum, adiutorem in temptationibus  
& tribulationibus; ac inibi humiliari in  
confessione peccati, & laudare ipsum  
Deum & Patrem, corripientem & con-  
solantem: insuper & omnia & singula,  
in se vel in alijs, prospera siue aduersa,  
æquanimiter accipere, expeditè & se-  
cure, de manu siæ infallibilis prouid-  
entiaz aut dispositionis ordinatae. Ex  
quibus sequitur etiam peccatorum re-  
missio, amaritudinis expressio, collatio  
dulcedinis & securitatis, infusio gratiæ  
& mi-

& misericordiæ, attractio & corroborationis familiaritatis, atque abundans in ipso consolatio, firmaque adhæsio & vnio. Sed nec velimus imitari eos, qui per hypocrisim, & more Pharisaico, se ipsos carius & aliter videri, haberi & apparere ab extra coram hominibus satagunt, quam ab intra in veritate de se didicerunt: quod quidem extremæ dementiæ est, sic videlicet quererere, appetere aut expetere laudem humanam vel gloriam à se vel ab alijs, cum nihilominus interius repletus sit illecebris & peccatis grauissimis. Et certè qui post huiusmodi vanissima currit, fugient ab eo prædicta bona, & dedecus incurret. Semper ergo præ oculis tuis habeas mala tua, & inidoneitatem tuam, & cognosce te, ut humilieris; & tamquam peripsema indignissimum, vilissimum, abiectissimumque ab omnibus haberi non refugias, propter grauissima peccata & maxima mala tua. Qua de re reputa te inter alios, ut scoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oves, satan inter filios Dei. Sed nec velis reuereri ab alijs, alijsque præferri: imò

C

potius

50 B. ALBERTI MAGNI

potius toto corde & spiritu fuge virus  
huius pestilentiae, venenum laudis, re-  
putacionem iactantiæ & ostentationis;  
ne videlicet, iuxta Prophetam, laude-  
tur peccator in desideriis animæ suæ. Et  
Isaiæ tertio: *Qui beatum te dicunt, ipsi te*  
*decipiunt, & viam gressuum tuorum dis-*  
*sipant.* Et Dominus Lucæ sexto: *Væ*  
*cum benedixerint vobis homines.*

Psal. 9.

Isaiæ 3.

Luc. 6.

## CAPVT XV.

*Contemptus sui, qualiter causetur in  
homine, & quam utilis sit.*

**P**ROINDE quantò quis vilitatis suæ  
cognitor est, tantò plus & limpi-  
diùs diuinæ maiestatis est inspector: &  
quantò aliquis propter Deum, verita-  
tem & iustitiam, sibiipsi in oculis suis  
est vilior, tantò in oculis Dei est preio-  
sior. Quapropter studeamus toto desi-  
derij conatu nos vilissimos reputare, &  
credere indignos omni beneficio; nobis  
dispicere, soli Deo placere, ab alijs in-  
dignissimi & vilissimi reputari: insuper  
super tribulationibus, afflictionibus, &  
iniurijs non moueri, nec super huius-  
modi